



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Compendiosa Praxis Beneficiaria

Nicolarts, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1658

Titulus II. De Annatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61991)

Insuper Regulæ reservatoriæ loquuntur tantum de tempore & initio vacationis, non autem de continuatione ipsius vacationis; cum Ordinarius habeat sex menses ad conferendum, sicuti *dub. preceden.* est ostensum. *Gonzalez ad reg. 8. gloss. 11. num. 53 & seq. Garcias de benef. part. 5. cap. 1. §. 11. num. 536. Barbosa de off. & potest. Episc. part. 3. alleg. 57. num. 189.*

§. 9. Denique pro hujus dubii conclusione notandum, quod ubi horologia non incipiunt à media nocte, & meridie, de 12. in 12. horas numerando, sed ab occasu Solis, usque ad viginti quatuor horas, numerando per quatuor senarios, seu duas duodenas, ut in Italia, media nox accipienda erit juxta quantitatem seu magnitudinem, & parvitatem dierum & noctium, & tempore æquinoctii media nox erit hora sexta, *Garcias de benef. part. 5. cap. 1. §. 11. sub num. 525.*

Vbi porro horologia non incipiunt à media nocte & meridie, aliter est statuum.

TITULUS II.

De Annatis.

DUBIUM VNICVM.

An, & quæ Annatæ debeantur Sedi Apostolicæ per Concordata Germaniæ.

§. 1. **A**nnatarum usus per antiquus est, & jam inde à temporibus Concilii Generalis Viennensis receptus juxta *Flamin. Paris. de confident. quest. 9. num. 61. Cherubin. in compend. Bullarii tom. 1. ad Constit. 17. Pauli IV. & ibidem Scholio 2. Zoesium lib. 5. Decretal. tit. 3. num. 128.* seu ut aliis placet, secundum morem, quo hodiè solvuntur, introductus à *Joanne XXII. seu Bonifacio Papa IX.* uti notavit *Platina in eius vita. Gigas de pensionibus quest. 26. num. 1. Azor. instit. moral. part. 2. lib. 7. cap. 12. Zypaus in analyt. iuris Pontif. novi, lib. 3. tit. ut Ecclesiastica benefi.*

Annatarum usus antiquissimus.

beneficia sine diminutione conferantur. controu. 4. Sunt autem annata communitè mediū fructus primi anni Episcopatum, aliarumq; dignitatum & beneficiorum à Pontifice impetratorum, ejusdem Camera reservati: hac ratione, ut cui impeterum de beneficio excedente valorem 24. ducatorum de Camera providebitur, teneatur is dimidium proventus beneficii impetrati fisco seu ærario Apostolico pendere; sed & in conformitatem beneficiorum, ubi pensiones excedunt summam 24. ducatorum juxta Constitutionem Clementis Papæ VII. sancitum est annatas debere persolvi: unde stylus Curia observat, ut quando alicui confertur beneficium, super cujus fructibus est alteri reservata annua pensio, tunc in expeditione literarum provisionis beneficii, solvatur annata, detractâ pensione. Est autem institutum hoc genus tributi, ad subventionem Summi Pontificis, & Cardinalium, aliasq; Ecclesiæ necessitates: simili modo, quo lege veteris Testamenti decimæ decimarum præstandæ erant summo Sacerdoti, Gomezius in reg. de valore exprim. in impetr. benef. in præfat. Gigas de pension. quest. 26. num. 1. & 2. Flamin. Paris. loc. cit. num. 56. & seq. Azor, instit. moral. part. 2. lib. 7. cap. 12. Chokier in comment. ad reg. 61. num. 20. Gudelin. de iurè noviss. lib. 6. cap. 4. num. 34. Zypæus in analys. loc. cit. Zoesius supra. Naturalem enim æquitatem dictare docet D. Thom. 2. 2. quest. 87. art. 4. ad 3. ut ille, qui omnium curam habet, de communi alatur; ideoq; Pontificem posse à singulis Clericis decimarum decimas exigere; quid ni unius, vel dimidii anni fructus sibi reservare? quod continet minus gravamen.

De benef. c. 24. ducates non excedentibus nō solvitur annata juxta Concordata Germanicæ. §. 2. His præmissis, Respondeo in Concordatis Germaniæ supra n. 6. circa annatas expressè statui, ut imprimis de Cathedralibus Ecclesiis, & cœnobiis virorum duntaxat vacantibus & vacaturis, solvantur pro annatis ex fructibus primo anno colligendis à die vacationis, summæ pecuniarum in libris Camera Apostolicæ taxatæ, quæ communia servitia dicuntur. De cæteris verò Dignitatibus, Personatibus, officiis & beneficiis sæcularibus & regularibus quibuscumque, auctoritate Apostolicâ conferendis, solvantur annatæ, seu mediū fructus,

Clementis
Papæ 7.
Constit. 33.
Bullarij
tom. 1.

Num. 18.
vers. 8. &
seq.

Etus, juxta æstimationem taxari soliram à tempore possessionis infra annum: & debitum hujusmodi non transeat in successorem. Alia autem beneficia quæ annum valorem 24. florenorum auri, seu ducatorum de Camera non excedunt, ab annatis sint immunia; & idcirco Regulæ Cancellariæ Apostolicæ jubent exprimi verum valorem annum in impetrationibus beneficiorum, Gomez ad dictam reg. de exprim. valor. Chokier in comment. ad reg. 61. cancell. ad cujus ratam taxantur annatæ; verum hodie ex generali consuetudine & stylo Curie Romanæ obtentū est, ut omnes Canonicatus & Præbendæ, ac dignitates inferiores Germaniæ, Hispaniæ, & Belgii sub expressione illius taxæ Cameralis 24. ducatorum impetrentur: Ideoq; nullæ solvantur annatæ juxta prædicta Concordatæ: atque ita ex consuetudine taxandi in Germania & aliis locis antedictis, Regulæ olim LXI. nunc LV. Cancellariæ Apostolicæ de exprimendo vero valore. satisfieri solet, Branden. ad Concord post quest. 12. notab. 2. num. 7. Chokier in comment. ad reg. 21. num. 17. & ad reg. 61. num. 21. Zypaus in consultat. canonic. lib. 1. consultat. 6. de valor. Belgic. benef. exprim. & in analyt. iuris pontif. lib. 3. tit. ut Eccles. benef. sine diminut. conferantur. controu. 4. Idq; multoties Rota Romana probavit, uti & non adeo pridem apud Zypaum loc. præcit. in consultat. canonic. in una Cameracensis Canonicatus coram R. P. D. Merlino 20. Novembris 1624. cujus decisionis verba hæc sunt. Nec suffragatur Guilielmo, quod fructus Canonicatuum illarū partium soleant exprimi per non excessum in ducatis 24. ut de consuetudine totius Germaniæ dixit Rota in Leodiens. Canonicatus. 9. Decembris. 1589. & in Colonten. Canonicatus. 20. Maij 1602. coram bon. mem. Cardinale Pamphilio. in Leodien. Canonicatus & Scholastriæ. 27. Februarj. 1612. coram bon. mem. Cardinale Sacratio. & in Paderbornen. Canonicatus. 29. Maij. 1620. coram Reverendissimo Domino meo Decano. Quoniam talis consuetudo obtinet quidem in provisionibus qua fiunt in Curia ad effectum iustificacionis narrativa factæ in gratia concessa per Papam, & in his terminis procedunt dictæ decisiones. & hoc introductum fuit per Concordatæ, ut evitetur solutio annatæ in Curia &c. hætenus Rota. Quod & in Gallia obtinere tradit Rebuffus in syntagm. iur. canon. lib. 1. tit. 5. lit. D. &

in praxi de signatura gratia. part. 3. §. nec non verus valor sub num. 7. & tit. de unionibus beneficiorum. gloss. 7. videlicet, quod exceptis majoribus beneficiis, in reliquis non soleat exprimi nisi valor 24. ducatorum, etiamsi mille valerent, VVamef. in consil. canon. tom. 3. consil. 226 num. 5.

Secus de pensionibus excedentibus 24. ducatos.

§. 3. Advertit tamen idem *Zypaus in analyt. loco praxi.* quod licet beneficia Germaniæ sint ab annatarum solutione libera, pensiones tamen super huiusmodi beneficiis assignatæ, si viginti quatuor ducatos excedant, ad annatas teneantur; nam cum hoc privilegium exemptionis ab annatis non nisi indirectè concedatur beneficiis prædictis, ex eo nimirum, quod non supra viginti quatuor ducatos censentur, non verò simpliciter sint ab annatis immunita, videtur, quod si pensio super iis assignata viginti quatuor ducatos excedat, eo ipso impetrantes privilegio priventur, ut ob detectam rei veritatem, legibus Ordinariis sese conformare teneantur.

Solus Papa annatas imponit.

§. 4. Solus porrò Papa annatas imponere valet; utpote qui plenitudine potestatis Papalis potest beneficia extingueret, alia aliis unire, dividere, redditus eorum augere & diminueret; item & partem reddituum beneficiorum vacantium, & non vacantium, cum consensu beneficiariorum; imò & sine illo, ob justam causam applicare alicui bello pio, vel aliis piis operibus & necessitatibus, adeoq; & annatas vel compositiones imponere, *Layman Theol. moral lib. 4. tract. 10. cap. ult. §. 5. num. 46.*

Et non Episcopi.

§. 5. Quamvis autem Episcopi olim annatas, seu primos fructus ex beneficiis sibi reservare pluribus in locis solebant, teste *Gerson p. 2. operum. tr. de Simonia. object. 3.* Id tamen minime licet, ac juri communi adversatur, quo jubetur beneficia Ecclesiastica absque diminutione conferri, ut colligitur ex *c. unico. ut benef. sine diminut. confer. D. Thom. 2. 2. quest. 100. art. 4. ad ult.* quod & declaravit sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum hisce verbis: *Episcopus non potest primi anni fructus alicuius beneficii (cujusmodi sunt annatæ) sibi retinere, vel attribuere pro datione possessionis ei, qui legitime est provisus. Zerola in praxi Episc. part. 2. verb. bulla. quest. 3. conformiter*

Pii Papæ
& Constit.
104. Bul.
laris som.
2.

mitter Concilio Tridentino *sess. 24. de reform. cap. 14.* & Pii Papæ V. Constitutioni, quibus severè vetatur pro possessione, electione, præsentatione, nominatione, collatione, vel provisione alicujus Ecclesiæ, vel beneficii, Canonicatum aut Præbendarum, vel provisi in possessionem inductione quidquam accipi, nisi in pios usus convertatur, *Zerola in praxi part. 2. verb. possessio beneficii. in fin.*

§. 6. Vnde ex communi Doctorum sententia Capitula & alii quicumque nihil omninò exigere possunt ab eis, qui sunt electi, præsentati, instituti, vel instituendi, confirmati, vel confirmandi, vel ad possessionem admittendi suorum Canonicatum & beneficiorum, aut distributiones recepturi, nisi ex antiqua consuetudine tale quid recipi solitum consueverit converti in pios usus: veluti in usum fabricæ, sacristiæ, cæmeterii, aut pauperum eleemosynas, non etiam in commodum & utilitatem Canonicorum, aut beneficiariorum, prout fieret, si distribueretur inter Capitulares, aut si solveretur mensuræ Capituli, vel in reparationem bonorum ejus, quia tum redundaret & cederet in utilitatem singulorum, juxta Declarationem Cardinalium Concilii Tridentini interpretum relatum à *Garcia de benef. part. 8. cap. 1. num. 90.* Alioquin censetur Simoniacum, & accipientes & exigentes incurrunt penas Simoniacorum, juxta Concilii Tridentini & Pii Papæ V. Sanctiones *suprà* adductas. Quod est diligenter notandum, aut ait *Lessius de iust. & iure lib. 2. cap. 35. dubit. 18. num. 111.* contra communes & quotidianos Capitulorum abusus. Sed & super his extat præclara Declaratio Cardinalium Concilii Tridentini interpretationi præpositorum *in una Leodien. Ecclesiæ Collegiata S. Foilliani Oppidi Fossensis.* extensè posita per *Garciam part. 8. de benef. cap. 1. num. 84.* quâ abusus istic vigens recipiendi à novo Canonico 151. florenos, omninò fuit interdictus. Quin & in his largitionibus nulla consuetudo etiam immemorialis excusat; cum d' uturnitas temporis non minuat peccatum, sed augeat *c. non satis. 8. de Simon.* adeò ut ne quidem liceat citra Simonix labem certum quid dare Capellanis, & pueris ministris chori, pro receptione novi Canonici; cum

Capitula
nihil exigere possunt
pro electione,
institutione, &
possessionis
datione.

Idipsum juxta Concilium Tridentinum & præcitatum Pii V. Pontificis Constitutionem, non convertatur in usus pios; imò nec pro pastu aliquid exigi potest, etiam si solum detur prandium; modò ex pacto & quasi debitum ob receptionem Canonici detur, non obstante quacumque consuetudine etiam immemoriali. *c. fin. l. q. 3. c. non satis. 8. c. cum in Ecclesia. 9. c. Iacobus 44. de Simon. gloss. in c. ex parte. 12. verb. dimittere. de off. deleg. Vallensis in paratit. Decretal. lib. 5. tit. 3. §. 4. num. 9.* præsertim cum Pius V. eadem suâ Constitutione, quæ est declaratoria *d. cap. 14. Concil. Trid.* declaraverit Episcopum, qui aliquid (etsi dulciaria duntaxat) exegerit in receptione alicujus in Canonicum, esse suspensum à Pontificalis officii exercitio: Capitulum autem seu Collegium talia exigens subjacere Interdicto: privatas verò personas sententiæ Excommunicationis: & eos, qui sic aliquid acceperint, ad restitutionem teneri. Datum autem & factum absque ullo pacto, nihil mali moris includit, cum liberalitas æstimationem alicujus rei non inducat. *c. tua nos. 34. de Simon.*

Nisi eorum occupatio nes & labores aliud requirant.

§. 7. Mihi tamen non usque censendum videretur Capitulum, si ob molestiam Congregationum, lecturam literarum prolixarum, operamve similem, quæ separabilis est à consideratione receptionis, sicuti fit in stipendio pro celebratione Missæ, proportionatum operæ pretium, & non amplius exigat; quanquam satius sit & ab hoc abstinere, ne cui videatur species mali, ut monet *Zypæus in analyt. juris Pontif. nov. lib. 5. tit. de Simon. num. 8.* ita docente Apostolo Paulo; *Ab omni specie mala abstinete vos.* Ad eò enim à Sacris Canonibus & Constitutionibus Apostolicis damnantur hujusmodi largitiones, ut nec de cætero possit fieri statutum à Capitulo, quo obligentur novi Canonici aliquid solvere pro admissione ad possessionem; sed nec hodie licet in pium usum accipere, quod antè vertebatur in proprium, uti declaravit Sacra Congregatio ad dubia Concilii Tridentini interpretanda de paratorum apud *Garciam loc. cit. num. 87. 88. & seq.* Et ita circa præmissa à nobis tradita docent *Zerola in praxi Episcop. part. 1. verb. bullæ ad 7. & part. 2. verb. possessio ad 5. Piasec. in praxi Episc. part. 2.*

1. ad Theof. sal. cap. ult. v. 22.

cap. 4.

cap. 4. art. 7. num. 15. Lessius de iust. & iure lib. 2. cap. 35. dubit. 18. num. 111. Malderus in 2. 2. D Thom. trac. 9. cap. 3. dub. 9. Garcias de benef. part. 8. cap. 1. num. 83. 84. 85. & seq. Gudelinus de iure noviss. lib. 6. cap. 8. num. 31. Viggers de iure & iust. trac. 7. cap. 4. dub. 12. num. 73. Canisius in sum. iuris canon. lib. 3. tit. 14. §. 3. Zypaeus in analyt. iuris Pontif. nov. lib. 5. tit. de simon. num. 8. Zoefius lib. 5. Decretal. tit. 3. num. 45. Vallensis in paratit. Decretal. lib. 5. tit. 3. §. 4. num. 7. 8. & seq.

§. 8. Vtrum verò Archidiaconi ex consuetudine pro institutionibus seu investituris in beneficiis licitè aliquid accipiant; vel exigere valeant, videri potest apud Flamin. Paris. de Concordatorum quaest. 38. n. 38. Binsfeldium de simon. in c. 12. quaest. 1. conclus. 4. Item an pro literis collationis beneficii, expeditione & sigillo citra simoniae labem quidpiam recipi queat, consulti potest Piassec. in praxi Episcop. part. 2. cap. 5. art. 3. num. 97 & 98. & Branden. ad Concord. quaest. 4. num. 30.

An Archidiaconi pro institutionibus aliquid exigere possint.

TITULUS III.

De Concordatorum Germaniae usu & observantia.

DVBIVM I.

Quibus potissimum in locis vigeant Concordata Germaniae?

§. I. **Q**uamvis difficile sit singula loca speciatim describere, seu determinare, in quibus Concordatorum Germaniae est usus & observantia; tum quod ex ipsorum tenore primâ fronte inspecto, quasi appareat eadem non universaliter per totam Nationem Germanicam, sed tantum per Fredericum III. Imperatorem, & nonnullos Germaniae Principes.

Status quaestio, eius, determinationis difficultas.

